



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicas & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

Præfatio ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

THEATRUM LIBRORVM  
AC MEDIARVM  
ACAD. IMP. PETROPOLITANAE  
M. DCC. LXXV.

## Præfatio ad Lectorem.

**O**MNIA DIVI BERNARDI OPERA, AMICE LECTOR, con-  
gessit in unum corpus admodum Reverendus Domi-  
nus Jacobus Merloni Horstius Sacrae Theologiae Licen-  
tiatus, vir omni veneratione vel obinde dignus, quod magno  
molimine, ac improbo labore cuncta melliflui Doctoris scripta  
(quæ hactenus quidem sèpè typis excusa, innumeris tamen er-  
roribus referta, ac penè sine ordine perquam confusa, velut ru-  
dis, indigestaque moles in lucem prodierunt) in meliorem for-  
mam, & aptiorem ordinem redegerit, à mendis expurgaverit,  
adulterina à veris, aliena à propriis, spuria à genuinis segregá-  
verit, & quæ Bernardi stylum non sapiebant, nec eius olebant  
ingenium, succiderit restitueritque Authorem pristinæ purita-  
tis suæ, quæ talem, ac tantum Doctorem decebat. Cessit Hor-  
stio ad votum feliciter intentio; cessit & Divi Bernardi amato-  
ribus ad solatium eiusdem editio, quam nemo non laudat, qui illam  
participat, nemo non commendat, qui illam manibus terit,  
& versat.

Verumtamen quia opus grande est, pluribus voluminibus  
dispartitum; non omnibus præsto sunt sumptus tantæ molis  
comparandæ; neque cuilibet datum est, omnibus volumini-  
bus animum impendere, maximè parochis & sacerdotibus, qui  
ruri sunt, quibus ob quotidianas tum rei sacræ, cùm domesticæ  
occupationes tempus non vacat ex epistolaribus Divi Bernardi  
congressibus, Canticorum abstrusis explanationibus, aut aliis  
tam mysticis, cum asceticis discursibus primùm novas pro diebus  
festis, & dominicis magno studio ac labore conciones eruere, ac  
currenti persingulas vices Evangelio adaptare. Taceo etiam  
regularibus domi degentibus, qui tanti Doctoris piâ lectione plu-  
rimùm afficiuntur, tantorum mole voluminum non satis esse  
consultum, cùm singuli singula, in numeroso conventu habere

non possint. È de causa multi, quibus nec tempus studendi, nec sumptus coemendi omnia opera suppetunt, solos sermones eiusdem Melliflui Doctoris, in Festa ac Dominicas, aliaque anni tempora jam accommodatos, & ordinario Praeconi hebdomatim è suggestu declamanti peropportunos, à tantâ mole seorsim excusos videre cupiebant.

Subiit obinde animum pia pariter ac sancta cogitatio, me non solum DEO, Divoque Bernardo, sed etiam iis, qui crumenæ vacuitatem causant, vel brevitatem temporis ad studendum accusant, aut penuriam, & paucitatem omnium voluminum simul conqueruntur, facturum opus pergratum, si sancti Doctoris Sermones, alioqui millenis typis dignissimos, à cæteris voluminibus segregatos, seorsim in lucem emitterem, & tam illorum tenuitati, quam horum, aliorumque commoditati consulerem. Subiit, inquam, animum hæc pia cogitatio; invitavit ad typum multorum persuasio; evicit tandem animi præcordia tenerima in mellifluum Doctorem devotio.

Exhibeo itaque tibi, amice Lector, sub novo typo novos favos, novos sermones; non quidem catenus novos, quasi ab API argumentosa D. BERNARDO primùm confectos, atque ex alveario suo depromptos; suaptè enim naturâ perantiqui sunt, & Authori suo coevi; sed quia tui gratia novum typum induunt, novam lucem aspiciunt, novamque tibi studendi commoditatem afferunt, non dedignaberis favos hos alioqui antiquos, sub nova tamen hac typi forma tibi porrectos, gratanter accipere, frequenter libare, ac in tui, tuorumque auditorum utilitatem fructuosè convertere. Si qui fuerint, ut mihi persuadeo, qui reliquos ingenii fætus tanti Doctoris sub pari formula, quâ præsentes tibi exhibeo Sermones, ad tui maiorem commoditatem in lucem emiserint, DEO gratias rependito, & tam pro me, quam pro illis divinam clementiam exorato.

FACUL-